



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

XX. De Gaiano, & Theodosio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

De Gaiano & Theodosio.

C A P V T X X .

DVM hec Alexandria aguntur , defuncto Bonifacio papa Romano , Ioannes cognomento Mercurius sedis apostolica suscepit præ sulatum. Ad quem missi sunt ab imperatore Iustiniano Hypatius Ephesiorum episcopus , & Demetrius a Philippis , consulere sedem apostolicam contra legatos * Acymicorum , Cyrum & Eulogium , ne gantes esse confitendum beatam Mariam vere & proprie Dei genitricem , & vnum de Trinitate incarnatum & carne passum. Sed papa Ioannes , nobis ibi positis , hoc confitendum epistola sua firmauit , & imperatori direxit. A cuius communione discedentes Romae quidam monachi , * Acymicorum legatos secuti sunt , & vsque nunc hanc de Christo confessionem non suscipiunt. Ea tempestate mortuo Epiphanio Constantinopolitano episcopo , Theodora Augusta Anthimum transtulit in eamdem sedem , qui fuit episcopus ciuitatis Trapezuntis regionis Ponti , latenter Calchedonense Concilium non suscipiens. Verum defuncto Timotheo Alexandrino episcopo , studio & permissione Calotychii cubicularii partis Theodora Augustae , Theodosius ordinatur. Qui licet haberet cleri decretum , contradicere volentibus non permisit certamen populi. Monachorum quos non habuit , * pro Gaiano fuerunt. Confuetudo quidem est Alexandriae , illum qui defuncto succedit , excubias super defuncti corpus agere , manumque dexteram eius capiti suo imponeare , & sepulto manibus suis , accipere collo suo beati Marci pallium , & tunc legitime sedere. Dum hec Theodosius pertinet , cognoverunt populi & monasteria quid esset factum vespere in episcopio studio Calotychii & iudicum , id est , Aristomachi ducis & Dioscori augustalis. Mox Theodosium persecuti sunt , & expulerunt , ne colligeret funus Timothei. Inthronizauerunt autem Gaium , qui fuit tunc archiepiscopus ex parte assertorum incorruptibilitatis. Habens autem consentaneos aliquantos ex clero , & possessores ciuitatis & corporatos , & milites & nobiles , & omnem prouinciam , permanxit Gaius in episcopatu dies centum tres. Post hec a iudicibus

pulsus abscessit. Et post menses duos Narses cubicularius missus ab Augusta Theodora, Theodosium quidem in thronizauit, porro Gaianum misit in exilium. Qui adductus Carthaginem magnam, & inde quasi Sardiniam directus, quid de eo contigit, ignoratur. Mansit autem Theodosius in sede annum unum & menses quatuor, paucis ei communicantibus. Plurimi enim communicabant ad nomen Gaiani. Populi autem pugnauerunt pro Gaiano multis diebus. Qui cæsi a militibus, maiorem sui partem amiserunt. Sed & militum maior cecidit numerus. Vinciebatur autem Narses non armis, sed ciuitatis concordia. De superioribus domorum iactabant mulieres super milites quidquid manibus occurrisset. At ille igne vidit, quod ferro non potuit. Diuisa est usque nunc illa ciuitas hoc schismate, ut Gaianitæ & Theodosiani in ea vocentur, id est, Phantasiastæ & Corrupticola. Nouissime Theodosius de sede discessit, non ferens seditiones & bella, quæ contra eum exercebantur a populo. Missus est Constantinopolim cum honore, eo quod ita Augustæ scripta præciperent. Quo illo veniente, promittebat Augusta imperatori, quoniam posset Theodosius Calchedonensem suscipere Synodum: sed persistente & nolente eo, cum eius voluntate foras ciuitatem regiam sexto milliario in exilium missus est, iuxta basilicam Arisphœcæ, in via quæ dicit ad Stomapontem. Viuitque usque nunc.

*De Agapeto papa, & Anthimo Constantinopolitano
episcopo.*

CAPUT XXI.

VERVM mortuo Ioanne Mercurio, Agapetus archidiaconus Romanæ ecclesiæ papa ordinatur, in regulis ecclesiasticis apprime eruditus. Quo tempore Theodatus rex Gothorum scribens ipsi papæ & senatui Romano, interminatur, non solum senatores, sed & vxores & filios filiasque eorum gladio se interempturum, nisi egissent apud imperatorem, ut destinatum exercitum suum de Italia submoueret. Sed papa pro eadem causa legatione suscepta, Constantinopolim profectus est. Et primum quidem honorifice suscipiens directos sibi ab im-